



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli

Kircher, Heinrich

Coloniæ Agrippinæ, 1676

Verba Apocalypseos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39100

te unam è Stellis, quarum est lucere luce cœlesti, & dignè meâ dexterâ. memento Ecclesiam quoque tuam esse Candelabrum aureum, meo sanctum Tabernaculo: ipsum verò me præsentem in medio Candelabrorum.

Pars secunda.

2. *Narratio.* Esto, habeas OPERA ET LABOREM, aversionem à pseudoapostolis, quos rectè explorâsti, ET PATIENTIAM quâ SUSTINUISTI PROPTER NOMEN MEUM, neque illa patientia tua defecerit: attamen, quia CHARITAS prior, quâ cœperas, remisit, idcirco annuntio tibi necessarium esse, ut recuperes lucem primam qua luxisti ut stella, & charitatem qua arxisti. POENITENTIAM AGE ET PRIMA OPERA. sin pergis decrescere in cha-

ritate, ecce ambulo, inquam, inter candelabra, sum in motu is qui possum movere CANDELABRUM Tuum DE LOCO SUO: id est, auferam & transferam Ecclesiam istam in locum & ad gentem facientem (Matt. 21. v. 43.) fructus ejus. Hoc igitur HABEO ADVERSUM TE: ceterum ea quæ geruntur ab hæreticis, rectè mecum ODISTI & iis te opponis.

3. *Epilogus.* comminationem præmissam temperat promissione: quoddam si VICERIS labem inconstantia, per primum vigorem charitatis, atque in eo perstiteris: præmium tuum erit EDERE DE LIGNO VITÆ in paradiso: id est, immortalitas semper vegeta in Beatitudine.

Pars tertia.

Væ Stellæ quæ remittit de sua luce; Episcopo, cum sua Ecclesia, qui excidit de prima charitate & operibus. Mirum! Episcopo tam laudabili v. 2. ab operibus, & labore, & patientiâ; ac v. 3. de zelo doctrinæ propter nomen Christi: tamen comminatur Deus de movendo propter eum toto candelabro! S. Nazianz. Episcopus in Apologet. *Vnum Antistitis: non quàm optimum esse.* M. Joannes d' Avila: *Tot tantaque sunt Pastorum obligationes, ut qui vel tertiam earum partem respiciat, sanctus ab hominibus haberetur; cum tamen eo solo contentus gehennam non esset evasurus!*

VERBA APOCALYPSEOS.

(Versu 8.) *Et Angelo SMYRNÆ Ecclesiæ scribe: Hac dicit primus, & novissimus; qui fuit mortuus, & vivit: (v. 9.) Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, sed dives es: & blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ. (v. 10.) Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. (v. 11.) Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non cadetur à morte secunda.*

§. II.